

cuit inter exinanitionem executam, et exaltationem ad esse Filium Dei.

XCII. Et ideo S. Augustinus est perpetuus in hac intelligentia super illa verba Joannis: *Ego vivo propter Patrem*, inquit: « Ac si diceret, ut ego vivo propter Patrem, id est, ut ad illum tamquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit. » Ecce quomodo Augustinus explicans verba Apostoli, exinanivit se, inquit, quod exinanitio fecit, ut ad Patrem referat vitam suam. Et quia dixit, ut ad majorem, intelligitur de Christo ut homo est, quia in hoc sensu dixit Christus: *Pater major me est*. Et sensus est, ut referat suam vitam ut homo ad Patrem, illud verbum referre in Christo non intelligitur solum ut alii homines, sed speciali proprietate tamquam ad correlativum. Et sermone de nativitate in verbis alatis clare denotat hanc causalitatem, factus est Deus homo, ut homo fieret Deus, et est communis sanctorum consensus.

XCIII. Specialiter S. Thomas supra quæst. 1, art. 11, late explicat quomodo Verbum incarnatum est propter nos, et propter nostram salutem, quod habetur in symbolo, et sæpe in evangelio, quod Deus propter nos misit Filium, ut Joann. 3: *Si Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit, non pereat, sed habeat vitam æternam*: et 1 ad Corinth. 2: *Sapientiam prædestinavit in gloriam nostram*. Sed gratia, et gloria nostra est participatio gratiæ Christi, quia de plenitudine ejus omnes accepimus, ut explicat S. Thomas supra quæst. 7 de gratia capitis, et infinitate gratiæ Christi, et illa gratia Christi habitualis est passio gratiæ unionis. Unde prius intenta debet esse gratia unionis tamquam radix gratiæ habitualis, et participationis illius in hominibus; ergo si

propter nostram salutem descendit, et homo factus est, quæ salus consistit in gratia, multo melius propter radicem talis gratiæ incarnatus est, quia non erat rationabile, quod fieret homo propter participationes accidentales, et non propter formam cujus sunt participationes, et propter principium, et radicem talis formæ, quod est quod ille homo sit Deus: ex quo sequitur, quod habeat tantam gratiam, quod de ejus plenitudine omnes accipiamus gratiam, quæ est nostra salus.

XCIV. Ex quo fit argumentum: Non potest prædestinari terminus sine subjecto, etiam in ordine intentionis, sed ex his testimoniis colligitur, quod terminus intentus a Deo est exaltare naturam humanam ad hoc ut homo esset Filius Dei, et ille homo esset fons totius gratiæ, et hoc nequit intelligi in alio subjecto, nisi in illo homine prout includente suppositum divinum factum homo tamquam proprium subjectum termini intenti a Deo; ergo etiam in ordine intentionis præsupponitur hoc quod est Deum esse hominem, ad hoc quod est hominem esse Deum: sed quælibet præcedentia saltem secundum rationem, sufficit ad prædestinationem (ut dictum est) et subjectum, quia subjectum aliquam præcedentiam denotat; ergo est sufficiens capacitas ratione præcedentiæ ad prædestinationem inter hoc quod est Deum esse hominem, et hominem esse Filium Dei.

XCV. Exemplis eadem præcedentia suadet, verbi gratia, albedo prius intelligitur communicata corporali, quam intelligatur corpus album, ut est notum. Cujus ratio est, quia albedo communicata est causa, quod corpus sit album, et causa aliquam prioritatem dicit ad effectum, et quamvis causa formalis, et effectus sint idem entitative, tamen formaliter necessario debent distingui.

Ita similiter hominem esse Filium provenit ab hoc quod Filius fiat homo, et sic debet præcedere hoc quod est Filium fieri hominem, ad hoc quod est hominem esse Filium, quia sicut albedo comparatur ut actus respectu corporis, quod est per modum potentiæ, ita filiatio, seu relatio, seu subsistentia relativa Filii comparatur ad humanitatem sicut ad potentiam, et quantum ad hoc tenet paritas exempli sublatis imperfectionibus, in quibus non est paritas, sicut in hoc, quod uniatur accidentaliter, et ut forma, et supponat rationem subjecti in corpore.

XCVI. Secundum exemplum magis proprium, quia est in linea substantiæ, est inter formam substantialem, et corpus, verbi gratia, anima rationalis, prius est in intellectione saltem quod anima uniatur corpori, quam quod corpus vivat per vitam ejusdem animæ substantialiter; ipsa enim anima secundum se vivit, et est vita corporis, et facit illud vivere communicando seipsum ut formam, et prius intelligitur quod uniatur corpori, et quasi incorporaretur, et incarnetur, quam quod faciat illud vivere, et prius quam corpus dicatur vivum per illam, sicut etiam prius intelligitur separari a corpore, quam corpus dicatur mortuum, quia esse mortuum corpus est effectus separationis animæ. Si hoc reperitur in creatis, quare negabitur in divinis, quod Filius Dei intelligatur prius incarnari, vel humanari, quam quod ille homo intelligatur Filius Dei?

XCVII. Tertium exemplum adhuc magis proprium est in subsistentia, et existentia, quam anima rationalis secum affert, et communicat materiæ, prius intelligitur talis subsistentia communicata materiæ, quam quod materia subsistat per illam, et idem est de existentia in schola S. Thomæ, et secundum alios exem-

plum de subsistentia negari non potest, quæ prioritas communiter admittitur a philosophis; et nos explicuimus in libris de generatione, quæstione 1, articulo 4, explicando paritatem de subsistentia divina, ut communicatur humanitati. Sicut ergo subsistentia creata prius intelligitur communicari corpori, quam intelligitur corpus subsistens, vel quod sit persona, ut homo per illam, imo et communicari animæ in aliquo priori quam corpori, et respectu ejusdem animæ servetur idem ordo, quod prius intelligatur uniri animæ, quam anima intelligatur per illam subsistere, ita subsistentia divina, quæ succedit loco subsistentiæ creatæ, prius intelligitur uniri humanitati, quam quod ille homo intelligatur subsistens per illam.

XCVIII. Quartum denique exemplum etiam est proprium in unione divinæ essentiæ per modum speciei impressæ in intellectu beati, prius intelligitur uniri illi, quam intelligatur intellectus deificatus, ut diximus 1 part. quæst. 12, disp. 12, art. 4, explicando quomodo fiat illa unio, quam per similitudinem ad unionem subsistentiæ cum humanitate explicuimus, quia in nulla alia poterat esse paritas: sicut ergo ibi non negatur præcedentia in unione ad effectum, vel quasi effectum, nulla est ratio quare negetur in præsentia. In omnibus his exemplis apparebit quod est unio duorum extremorum, quorum unum se habet per modum actus, et aliud per modum potentiæ, et necessario præmittitur unio actus ad potentiam, quam quod potentia dicatur talis ab illo actu, et constabit quod est regula generalis, quotiescumque aliquid unitur alteri per modum actus potentiæ, prius intelligitur uniri, quam intelligatur potentia actuata talis, et cum in præsentia

fiat unio Verbi ad humanitatem, et humanitas sit in potentia ad subsistentiam, et subsistentia sit per modum actus, et subsistentia Filii sit relatio, seu filiatio, seu Persona Filii, prius debet intelligi unio Filii cum humanitate, quam quod intelligatur homo Filius.

XCIX. Ex quo manet solum quoddam argumentum, scilicet, quare magis dicitur, quod est prius Deum esse hominem, quam hominem esse Deum, et quod hoc est finis, et non illud, respondeo, quod Scriptura ita significat, ut patet in locis allatis. Et ratio suadet, quia irrationabile est dicere, quod Deus intendit exinanitionem Filii, et ad hoc assumpsit exaltationem humanitatis, hoc est pervertere ordinem explicatum in Scriptura, et in ratione nullam convenientiam habens, quod Deus vellet nostram exaltationem propter suam inferioritatem, et sequeretur quod Deus esset subjectum prædestinationis, et per consequens illi fieret gratia, sicut modo dicitur, quod ut homo est subjectum prædestinationis, et quod homini fit gratia, quia si poneretur discursus contrario ordine, etiam deberet poni subjectum, et gratia ordine contrario, et si modo dicitur, quod subjectum est homo, quia intelligitur prius Deus factus homo, quam homo intelligatur Deus, et ideo homo est subjectum, si diceretur, quod prius esset hominem esse Filium, et post Filium esse hominem, Filius esset subjectum, et illi fieret gratia unionis, quod est falsum.

C. Ex quo etiam sequitur in hoc modo dicendi, quid sit subjectum quo, et quid sit terminus ad quem, qui, et quo, et cui. Subjectum quod est Christus quatenus consideratur in primo effectu, hoc est, Deus humanatus, vel Deus ut homo: subjectum quo est ipsa humanitas,

quia Deus ut homo est id, quod prædestinatur ratione humanitatis. Terminus ad quem est filiatio naturalis, ut ex gratia in illa ratione sub qua est gratia. Ratio quæ est substantia filiationis, et totum hoc est terminus quo. At vero subjectum, et ipsa filiatio gratiose applicata secundum quod ex vi prædestinationis verificatur, quod homo prædestinatus habet filiationem ad quam prædestinatur, in facto esse prædestinationis est terminus qui prædestinationis, quia terminus qui a prædestinatione intenditur, est quod homo sit Filius, et sic terminus qui est homo Filius, et sic Christus qui includit, et divinum suppositum, et naturam humanam, est subjectum quod, et terminus qui. Sicut in prædestinatione Petri ad gloriam, Petrus est subjectum quod, gloria est terminus ad quem, et Petrus gloriosus est terminus qui: et sicut Petrus præintellectus ad gloriam est subjectum, et terminus cui est danda gloria ex vi prædestinationis, et simul est subjectum quod et cui, ita in prædestinatione Christi ille homo, qui est subjectum quod prædestinatur ad filiationem, est etiam subjectum, vel terminus cui ex vi prædestinationis convenit gratiose filiatio.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

CI. Contra istum modum dicendi etiam militant argumenta facta articulo præcedenti contra secundam sententiam. Modo vero argumenta fient contra istum modum explicandi illam sententiam quantum ad illas duas condiciones de gratia et præcedentia ad prædestinationem requisitas, contra quas etiam S. Thomas arguit, et argumenta solvit locis ibidem allatis, et ulterius arguitur. Primo, contra primam conditionem: Deus factus ho-

mo etiam formaliter ratione humanitatis non est capax ut ex gratia conveniat illi filiatio, etiam ut homo est; ergo non est capax ut conveniat ex vi prædestinationis: ergo non est subjectum prædestinationis. Utraque consequentia est bona, et antecedens probatur: Illud datur ex gratia, quod potest non dari, et quod aliter potest esse, sed semel amisso primo effectu prædestinationis in hoc modo dicendi posito, scilicet, quod per unionem Deus factus sit homo, non potest esse quod homo non sit Deus, etiam de potentia Dei absoluta; ergo quod ille homo sit Filius Dei ex gratia, non potest verificari.

CII. Si dicatur, quod ratione suppositi oritur illa necessitas, non ratione humanitatis, quia ratione humanitatis aliter posset esse, si Deus vellet, contra est. Semel facta unione suppositi divini cum humanitate, etiam est debitum ratione humanitatis ut supposita a supposito divino, quod ille homo sit Filius Dei; nec Deus potest facere quod Verbum sit unum humanitati, et quod ille homo non sit Filius Dei; ergo quamvis gratia fiat in hoc quod Verbum uniat humanitati, ibi cessat gratia; quod vero postea sequitur, jam non ex gratia, sed ex debito connaturalitatis sequitur: sicut quod Deus vellet creare istum hominem potest esse ex gratia, tamen quod semel creatus sit risibilis non est ex gratia, quia naturali sequela ei debetur.

CIII. Respondetur, quod duplex solutio solet huic argumento adhiberi. Prima est, quod sufficit, quod ratione unius partis fiat gratia, ut toti subjecto fiat gratia, ad quod adducuntur plura exempla. Sed replica facta est contra hanc solutionem, et omnia exempla, quia si in illa parte, ratione cuius possit fieri gratia, si secundum se considere-

tur, involvatur, et reduplicetur aliquod principium ratione cuius ex necessitate debeat effectus, non potest esse graciosus sub tali reduplicatione.

CIV. Nihilominus tamen hæc solutio est defendenda, quia illa utitur S. Thomas reducendo semper gratiam hujus prædestinationis ad prædestinationem, hoc est, quod verificatur semper ratione humanitatis fieri gratiam, ut patet locis allatis. Et ad replicam respondetur, quod in reduplicatione reduplicatur et principium ex quo oritur necessitas, scilicet suppositum, et humanitas ratione cuius fit gratia, et hoc sufficit, maxime quia humanitas est significatum formale. Si autem reduplicatio fiat supra solum suppositum, non fit gratia, quia nec etiam solum suppositum est subjectum prædestinationis; sicut, verbi gratia, gratia habitualis in Christo quamvis debita ratione unionis, simpliciter est gratia ratione humanitatis, et in opinione quod eadem gratia per modum auxilii est principium ultimæ dispositionis ad justificationem, tamen simpliciter in ratione justificantis, est gratia secundum Tridentinum. Neque est simile de risibilitate, quia ratione nullius subjecti est indebita, sed ex omni parte debita homini.

CV. Secunda ergo solutio est, quod bene potest esse aliquid ex gratia simpliciter, et secundum quid necessarium, et necessitas secundum quid, vel ex suppositione non excludit gratiam simpliciter, quia non excludit libertatem. Quæ doctrina est communis in S. Thoma 1 part. quæst. xix, articulo. iii ad primum et articulo. vii ad quartum, et quæst. lxxxii, articulo primo per totum, et alibi sæpe. Quibus in locis docet, quod necessitas ex suppositione non tollit libertatem, et quod necessitas coactionis solum illam

tollit. In præsentī igitur ex suppositione unionis sequitur connaturaliter, quod homo sit Filius, sed id quod supponitur ex gratia, et ex vi hujus gratiæ, gratiosum est, quod sequitur, quamvis inter se ipsi effectus connexionem habeant, quia voluntas Dei gratiose tendit in utrumque effectum, et primum ponit ex gratia, et consequenter etiam secundum, et sic simpliciter est gratiosus etiam effectus secundus, quamvis secundum quid sit necessarius.

CVI. Et hoc potest explicari ex connexionē, quæ est inter executionem, et intentionem hujus mysterii, et cujuslibet alterius effectus supernaturalis, quia prima gratia, quæ in hoc mysterio reperitur, est quod Deus in intentione gratiose intendit quod homo sit Deus, quia hoc ex nulla suppositione, et ex nullo capite debitum fuit, at vero ex gratia intentionis oritur gratiosa executio, quamvis posset dici, quod ex suppositione intentionis divinæ, executio necessario posita est, quia non potest Deus non exequi, quod semel efficaciter intendit, quia non potest decretum efficax revocare, alias mutaretur. Ecce retorquetur argumentum: Quod si in executione secundus ex necessitate sequitur ad primum effectum ut executum, etiam primum effectus, ut executus necessario sequitur ex se ipso ut intento, et non tollitur ratio gratiæ simpliciter in executione primi effectus, et consequenter neque in executione secundi propter similem suppositionem, et absolute loquendo primordialiter, ratio gratiæ in secundo effectū reperitur, et ex illo communicatur primo effectui; unde absolute secundum magis involvit gratiam quam primus, quia est gratiosus propter secundum.

CVII. Si inquiras: Si est novum beneficium ille secundus effectus, potest responderi affirmative, quia

est distinctus effectus gratiosus, et sic distinctum beneficium, quamvis ex vi primi necessitate suppositionis debeat secundum, quia hæc necessitas (ut dictum est ex S. Thoma) non tollit gratiam. Vel potest dici, quod est unum beneficium formaliter, quamvis duplex virtualiter cum distinctione rationis ratiocinatæ, qualis ponitur in ipsa actione prædestinandi, et uterque effectus est sub una ratione prædestinationis, quod non contingit si eadem gratia sit auxilians, et justificans, quia isti effectus sunt in diversa linea, et diversæ rationis.

CVIII. Secundo, arguitur contra secundam conditionem: Sicut, quod est ultimum in executione est primum in intentione, ita quod est primum in executione, est ultimum in intentione, quia hoc æqualiter est principium philosophicum; ergo si hunc hominem esse Filium est ultimum in executione respectu sui subjecti, scilicet, Deus homo factus, etiam in intentione debet esse primum respectu ejusdem subjecti, quod in executione fuit primum, et consequenter debet esse in intentione posterius eadem posterioritate, qua fuit primum in executione; ergo non est subjectum prædestinationis, et termini ad quem prædestinationis. Patet consequentia, quia illud, quod ponitur primum in intentione, scilicet, quod homo sit prædestinatus Filius, debet præsupponere subjectum, quod prædestinatur ad esse Filii, et explicatur per illud nomen homo, quod est subjectum in hac propositione: Homo prædestinatur ut sit Filius, quia prædestinatio versatur circa aliquod subjectum, quod prædestinat ad terminum, et prædestinatio est in ordine intentionis; ergo subjectum in ordine intentionis præsupponitur ad terminum.

CIX. Tum, quia in illo ordine

est subjectum, et ubicumque est subjectum semper præcedit terminum; tum, quia in intentione prædestinaretur terminus sine subjecto, vel sine hoc quod cognoscatur subjectum a prædestinante pro illo priori, quo prædestinat terminum in intentione, quod implicat, quia etiam in intentione prædestinatio est ordinatio alicujus ad aliquid, et sic supponitur id quod ordinatur ad id ad quod ordinatur, et ad ipsam ordinationem formaliter. Cum ergo terminus prædestinationis, ut explicatum est, sit homo Filius Dei, debet assignari quis homo sit ille, qui prædestinatur ad esse Filii in illo ordine intentionis tamquam subjectum prædestinationis comparative ad illum terminum. Quia vel est homo includens suppositum divinum, vel non. Si includit suppositum divinum, jam in mente divina ordine intentionis præcedit suppositum divinum humanatum, ut ille homo prædestinatur ad esse Filii, quamvis sit vi ejusdem actus prædestinationis, sed secundum diversas formalitates, vel virtualitates, unam præintellectam ad aliam; ergo etiam in intentione præintelligitur prius quod Deus sit homo, quam quod homo sit Deus. Patet consequentia ex principio supposito, quia subjectum debet esse prius; sed in ordine intentionis est subjectum; ergo si in ordine intentionis est prius illud, quod in ordine executionis ponitur etiam est prius: si vero subjectum in intentione non includit suppositum divinum, debet includere aliud, vel solam naturam sine supposito juxta aliquam ex quinque modis jam impugnatis, quod cum non concedatur, sequitur, quod etiam via intentionis primum intentum in mente divina sit Deum esse hominem, et per consequens quod non est primum in executione; vel si est primum in executione,

erit posterius in intentione, et non erit subjectum. Unde concluditur, quod unum ex duobus principiis falsificatur, aut quod subjectum non est prius, aut quod id quod est prius in executione, non est ultimum in intentione in hoc modo dicendi.

CX. Respondetur, quod Asturicensis pagina 963, tenet quod hominem esse Filium, quod est ultimum in executione, est primum in intentione propter principium philosophicum, scilicet, quod id quod est primum in intentione, est ultimum in executione, et e contra; sed pagina 964, solvendo secundam difficultatem a se ipso positam, scilicet, illud primum in executione, quod Deus sit homo, non potuit non esse effectus alicujus prædestinationis, quandoquidem erat opus supernaturalis ordinis. Respondet, quod est effectus ejusdem actus prædestinationis, quia in hac mirabili prædestinatione, non solum terminus, sed etiam ipsum quoque objectum (quod nos dicimus subjectum) constant, ordine tamen quodam; objectum namque ad terminum præsupponitur. Ubi expresse in ipsa prædestinatione, quæ est in ordine intentionis, ponit etiam præsuppositum subjectum ad terminum, et per consequens terminus non potest esse primum, sed id quod præsupponitur ad ipsum erit primum, quamvis aliud sit principaliter intentum, quia hoc propter illud intenditur, sed quia est tamquam subjectum propter terminum non esse primum, quamvis non principaliter in illa intentione. Propter quod non apparet quomodo non sit aliqua contractio in hoc auctore, et idem reperitur in Nazario hic articulo secundo, controversia secunda, ubi notabili quarto ponit quod hominem esse Filium est ultimum in executione, et primum in intentione; et notabili quinto ponit contrariam, scilicet